



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 417. An dominus possit vasallos juos invitos alienare seu transcribere alteri, aut feudum oppignorare.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)



quiri absolute datio vel apprehensio novæ possessionis. Porro an & qualiter ad succedendum in feudis dignitatum Ducatus, Comitatus, &c. opus sit nova concessione, vide Clar. *loc. cit. quæst. 81.*

*Quæst. 415. An in successione feudorum habeat locum jus accrescendi?*

**R** Esp. Satis in hac quæstione tractanda confule procedere AA. ut videre est apud Clar. §. *feudum. qu. 77.* Nam primò jus accrescendi in feudo (nimirum concessio in simul pluribus) uno eorum sine hæredibus mortuo, accrescere cum Curt. Jun. simpliciter negat Clar. *loc. cit. num. 1.* eò quòd jus accrescendi in contractibus, qualis est feudum, non habet locum. Quam tamen opinionem limitat *loc. cit. num. 5.* dicendo intelligendam de feudo novo, ubi illum vide; & hoc videtur intelligere de feudis concessis à privatis. Nam *num. 3.* ait, se juxta magis communem & veriore, quam apud eundem tenet Jason in *L. si mihi & Tito. ff. de V. O. num. 6.* Socin. Jun. *conf. 73. à num. 22. l. 1.* Curt. Jun. & alii contra Cynum. in *L. unic. C. quand. non*

*peten. par. circa finem,* & alios; quòd in feudis à Principe (intellige, non tantum ab Imperatore, sed etiamque alio non recognoscente superiore, pro ut id ibidem cum pluribus aliis à se citatis extendit,) concessis in simul duobus vel pluribus jus accrescendi habeat locum; eò quòd, cum in aliis concessionibus Principum ita cautum reperitur de jure communi, illi etiam standum sit in feudis, ex quo non reperitur expresse dispositum contrarium jure feudorum; & hæc sine difficultate dici, si in investitura apponerentur illa verba: *Et cuique in solidum:* eò quòd ubicunque in investitura concessa est duobus & unicuique vel cuilibet eorum, procul dubio, uno deficiente, alter solus habebit totum; pro qua declaratione seu limitatione citat Bald. in *c. 1. §. fin. de success. feud. n. 4.* & Curt. Senior. *conf. 49. num. 54.* qui dicat communem & sine contradicte. Ad hæc, quòd jus accrescendi non habeat locum in feudis, intelligendum ait Clarus *loc. cit. num. 5. in feudo novo,* quem ibi vide.

## CAPUT SECUNDUM.

De

### *Juribus & Obligationibus tam Domini directi respectu Vasalli, quàm hujus respectu Domini.*

*Quæst. 416. Quid juris competat domino directo ratione feudi?*

**R** Esp. præter jus proprietatis seu directum, quod in re feudali habet & retinet post concessam illam in feudum, jus illud, quod acquirit sibi per infeudationem, consistit in obligationibus, quibus illum sibi obstrictum habet, puta, ad præstandam sibi ab eo fidelitatem & servitia aliæque, ac proinde de jure hoc, ad quæ extendat se in particulari, constabit ex dicendis paulò post de obligationibus illis in particulari.

*Quæst. 417. An dominus possit vasallos suos invitos alienare seu transcribere alteri, aut etiam feudum oppignorare?*

**1.** **R** Esp. ad primum: Si sensus quæstionis, quam dictis verbis movet Clar. §. *feudum. quæst. 28.* est hic: num possit dominus dominium directum bonorum suorum, in quibus constitutum est feudum, & vasallus habet dominium utile alienare, seu in aliquem transferre, ita ut in iisdem vasallus retineat feudum, & tantum nanciscatur alium dominum, cui debeat fidelitatem & servitia eadem, quæ debebat priori, videtur, id eum posse sine consensu vasalli, utpote cui per hoc nihil decedat; cum jus ipsum vasalli, quod is habet, per hoc non alienetur. Nisi tamen foret per accidens ista mutatio domini directi ob ejus personam cederet in præjudicium vasalli. Multoque magis id procederet, ubi feudum illud, seu bona illa, in quibus illud constitutum, unà cum toto

territorio & universitate aliorum castrorum & bonorum cederet alteri, juxta quod ait Clar. *loc. cit. num. 2.* cum Paris. *conf. 23. num. 103. l. 1.* & aliis communiter. Ubi tamen negat ipsos subditos ab eo separatim alienare posse; quin &, si hoc faceret, juxta sententiam, quam tanquam veram & magis communem teneri dicit à Curt. Jun. *conf. 174. post num. 34.* privandum proprietate feudi, non secus, ac vasallus alienans feudum contra juris dispositionem cadit à feudo, sentire videtur, feudum acceptum pro re feudataria, & simul pro jure, quod habet ratione illius respectu vasallorum, sine horum consensu separatim ab aliis bonis suis allodialibus alienari non posse, utpote quorum interesse posset, hac ratione etiam cum re particulari feudo subjecta non transire ad alium dominum. De cætero

**2.** Resp. ad secundum: Potest dominus invito vasallo dominium directum & jurisdictionem feudi oppignorare. Clar. *loc. cit. num. 4.* cum Ripa in *L. obligatione. de pignorib. num. 46.* in quo differt à vasallo, qui non potest oppignorare dominium utile sine consensu domini.

*Quæst. 418. Num dominus possit vasallis imponere collectas?*

**R** Esp. Tametsi Comites, Barones similesque domini superiorem recognoscentes, etiam aliàs merum imperium & omnimodam jurisdictionem habentes subditis suis collectas imponere non possunt, ut Clar. *loc. cit. quæst. 19. n. 1.* cum Salicet. in *l. 3. C. veltig. instit. non poss. post n. 3.* & Paris. *conf. 25. num. 2. l. 1.* testante de communi, nisi ad summum ex speciali conventionione & ubi consuetudo sic fert pro certis casibus, quos vide enu-